

2896. XIV, 6-22 — Instrução pela qual se ordenou qual o modo de proceder na causa do conhecimento da bastardia de D. Martinho de Portugal, arcebispo do Funchal. 1530. — *Papel. Mau estado. Cópia junta.*

Ista est informatio et modus secundum quam et quem in regno Portugaliae erit procedendum et debet procedi ad executionem literarum apostolicarum sive brevis in lite et carta illegitimatis reverendi patris domni Martini a Portugalia archiepiscopi Funchalensis.

Et primo serenissimus rex habet constituere quem magestati suae placuerit suum regium et sui regni Portugaliae procuratorem fiscalem in amplissima forma citra tamen revocationem quorumunque procuratorum per suam magestatem hactenus constitutorum ad cartas et presertim

ad prosequendum et effectuandum effectuique demandandum litteras sive breve praedictum coram reverendis patribus divinis Lamecensis Sancti Jacobi ac insulae Sancti Thomae episcopis in regno praedicto comemorantibus seu temporum altero vel cuilibet et opportet quod desuper fiat et apareat publicum instrumentum quod postea in processu de verbo ad verbum inseretur et inseri debet.

*Facta* ista constitutione ut praefertur idem procurator habebit et debet comparere et compareat coram illo ex episcopis praedictis coram quo prelibata regia magestas mandaverit sive volverit procedi et coram ipso et notario et testibus asserendo se procuratorem fiscalem regium et regni praedicti exhibebit et producit ipsas literas sive breve faciendo instantiam et petendo ab ipso apperiri breve et quod debeat acceptare et acceptet commissionem apostolicam sibi directam vigore earumdem literarum sive brevis velutque procedere ad illarum executionem juxta et secundum tenorem et datam sibi formam in litteris praedictis et illarum vigore.

*Tunc* ipse dominus episcopus et judex primo et ante omnia cum debita reverentia receptis litteris sive brevi praedicto et positis super caput acceptando dictam commissionem apostolicam et illius executionem offerendo juxta sibi traditam et directam formam praedictam sibi et ad hanc cartam constituet et eligit notarium actuarium ad notandum et describendum omnia acta processus coram ipso desuper inter ipsum procuratorem fiscalem et dominum Martinum et omnes alios in brevi sive delegatione apostolica contentos habendi et fiendi et cursorem sive nuntium vel bajulum pro citationibus mandatisque et aliis iussionibus judicialibus et extra judicialibus exequendis et huic cursori nuntio vel bajulo defferret ipseque cursor nuntius sive bajulus prestabit juramentum de fideliter exercendo et gerendo legaliter sibi commissum officium hujusmodi et insuper idem judex constituet et designabit locum et forum judicii et ubi et in quo et qua seu quibus die vel diebus horaque et horis ipse erit sessurus et sedebit in loco judicii pro tribunali ad jura reddendi et coram ipso erit processurus processusque habendus et fiendus.

*Et* postea breve praedictum apperiat et illo apperto illud dabit notario causae electo ut prefertur et tunc dictus procurator fiscalis ibidem actualiter faciendo fidem de mandato et procreatione sua illud producit et exhibebit illoque exhibito instabit et petet sibi decerni et concedi citationem cum inhibitione contra prefatum dominum Martinum cum insertione ejusdem brevis de verbo ad verbum cum appositione convenientis et competentis termini ad comparendi coram ipso et loco et foro per ipsum ut perfertur designato infra certum tempus conveniens et quod debeat comparare cum omnibus juribus suis hanc cartam facientibus prout idem judex dictam citationem modo praedicto et ut prefertur decernet et concedet.

*De* omnibus supradictis et omnia supradicta fient acta publica et in actis publicis reducentur et super omnia ponentur ad longum et inserentur

omnia supradicta et presertim procuratorum et mandatum procriptionis et citatio hujusmodi.

*Dictus* nuncius cum dicta citatione in manibus accedet ad prefactum dominum Martinum personaliter et faciae ad faciam exequetur et intimabit sibi dictam citationem et illius executionem faciet et super omnia et hoc non omittatur dabit et dimittet sibi copiam dictae citationis cum brevi inserto.

*Deinde* et successive idem nuncius referet notario actuario executionem praedictam per ipsum ut prefertur factam et notarius actuarius nullatenus omittet ponere sed omnino ponet in actis ne sciat nulitas ex defectu citationis.

*Advenientibus* postea die et termino et hora data sive dato idem procurator fiscalis in eodem loco judicii habebit et debebit comparere et repetere citationem et illius factam executionem praedictas prout sunt in actis et accusabit contumaciam partis adversae sive comparuerit sive non refert quam accusationem hujusmodi sed si esset praesens ipsa pars advertat facere quod notarius scribat de illius presentia.

*Sed* maxime advertendum est circa comparationem et personam quae ex adverso comparebit ut sit legitima quia non creditur quod Martinus personaliter seu per suum procuratorem comparebit debet enim dictus procurator fiscalis semper procurare et protestari quod pro parte domni Martini non audiatur nec admittatur aliquis nec sibi communicecentur vel dentur acta nec copiae nisi docto de sufficienti facto mandato et procriptione.

*Et* omnino bene aperiantur oculi et videatur quod mandatum prefati domni Martini quod producetur per procuratorem sit bonum et suficiens ne fieret nulitas ex defectu mandati et omnino istud tale mandatum debebit registrari et inseri registreturque et inseratur in processu de verbo ad verbum et similiter mandatum regis.

*Et* hic est advertendum quod aut persona dicti Martini erit in loco eo modo quod nuntius possit ipsum apprehendere et forsan ipse dictus Martinus velet comparere personaliter vel suus procurator pariformiter personaliter erit citandus et debebit citari ad omne et singulos actus et hoc esset tutius.

*Verum* si resideret vel moraretur in loco non comodo ad citandum vel nolet constituere vel non constitueret procuratorem qui haberet vel posset citari tunc opportet quod procurator fiscalis petat et obtineat decerni citationem et faciat ipsum citari ad eligendum et videndum eligi locum ubi et in quo ad omnes et singulos actus usque ad difinitivam sententiam inclusive beat citari et hic non est necessario aliqua alia ulterior insertio brevis similiter ad certam et prefixam diem et horam et si non comparuerit veniente die et termino citationis in contumaciam si vero personaliter vel per suum procuratorem suus procurator compareret designetur et statuetur locus exequendi citationem ut prefertur.

*Sed* advertatur quod cursor referat notario et notarius ponat in actis omnes executiones citationum sive contra dominum Martinum sive suum procuratorem sive in loco designato ubi debeat fieri et exequi citatio.

*Ista* sunt dicta ad effectum ordinandi et disponendi processum super introitum ad item et ad fundandum litis ingressum.

*Nunc* quoad ulteriorem processum quia ut in textu brevis habetur carta est facta summaria hic non est necessaria litis contestatio et primus actus judicarius habet naturam vim et effectum litis contestationis.

*Ideo* primus terminus debebit et debet esse quod citetur et habebit citari dictum adversarium ut supra dictum est ad dicendam contra commissionem citationem et illius executionem tam factam ad certum diem et certam horam prout destinavit judex nec est in ista et aliis subsequentibus fiendis citationibus necessaria ulterior insertio brevis.

*Adveniente* postea die et hora citationis pro parte procuratoris fiscalis judicialiter accusabitur contumacia.

*Est* nunc advertendum quod pro parte domni Martini dabuntur exceptiones vel non idem aut recusabitur suspectus judex vel non si judex suspectus recusaretur melius est quod ipse se exoneret de ista carta et illam vel illas remittat ad collegam vel collegas forsan non suspectum vel non suspectos quia si intraretur ad electionem arbitrorum juris qui haberent judicare de causis suspicionum cum in similibus periculoso esset quod non fieret aliqua nullitas et nihilominus minus prolongaretur pro longa et protraheretur materia et negotium quod est evitandum.

*Si* evenerit casus remissionis ad alium judicem propter suspicionem allegatam hujusmodi tunc judex ad quem comparente procuratorem fiscali et ipso instanti habebit reasumere et reasumet cartam coram collega suo remittente et insuper ad instantiam ejusdem procuratoris intimabit et intimari faciat et citari faciet domino Martino adversario remissionem et transumptionem hujusmodi per publicum instrumentum et nihilominus in eadem intimatione adjunget et ponet et citationem et certam diem et horam cum designatione suae habitationis vel alterius loci quem elegerit vel habuerit pro loco juridico ad videndum mandari procedi ad ulteriora et ad videndum praefigi terminum utrique parti ad articulandum et ponendum articulate et poni videndum ac etiam ad probandum et deducendum ac producendum probatumque et deductum et productum habendum quidquid probare deducere et producere voluerit per omne genus probationis productionis et deductionis quae termino adveniente idem procurator fiscalis sive in contumancia sive parte praesente obtinebit et faciet praefigi terminum hujusmodi in die ante terminum et termino statuti et praefixi ad articulandum ut praefertur dictus procurator fiscalis producet articulos de jure partis suae subsequentis tenoris utque tenor vero articulorum fieri et concepi potest ut sequitur.

*Pro* verificatione narratorum pro parte procuratoris fiscalis regii regni Portugaliae in litteris apostolicis delegationis vestrae procurator

praedictus non per modum solemnis libelli etc<sup>a</sup> sed talis qualis petitionis et simplicis facti narrationis etc<sup>a</sup> dat facit et exhibet positiones et articulos infrascriptos quibus singulariter singulis petit per dominum Martinum a Portugalia adversarium ejus medio juramento ac per verbum credit vel non credit clare sufficienti et aperte responderi non astringens se nec partem suam praefatam ad onus superfluae probationis.

*In primis* quidem procurator praedictus ponit et dicit quod dictus dominus Martinus dudum ante tempus et tempore suae conceptionis quam nativitatis et signanter postquam annos discriptionis attingit et tam inventae bonae memoriae Alfonso episcopo Elborensi quem post ejus obitum et aetate successive procedente fuit et erat illegitimus et ab omnibus etiam secum conversantibus et etiam postquam vir auctorizatus fuit etiam in aula regia regis istius regni pro tempore existentis etiam donec et quounque ad felicis recordationis Clementem Papam septimum orator regius destinatus et missus fuit etiam in aula pontificia et ubique in Romana Curia se habuit tenuit tractavit et reputavit pro illigitimo et de praedicto episcopo et certa muliere forsan soluta concepto et nato et ab aliis omnibus pro tali et ut talis nominatus tractatus et reputatus fuit nominabaturque tractabatur et reputabatur palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod dictus dominus Martinus de et super sua illigitimitate hujusmodi et quod illius defectu non obstante ad quatuor Ordines Minores clericatumque et clericalem ..... promoveri et institueri et quaecunque ..... obtinere posset successivis temporibus impetravit habuitque et illarum vigore diversa beneficia ecclesiastica et super aliorum beneficiorum ecclesiasticorum fructibus pensiones annuas habuit et obtinuit et pro sic dispensato et talibus dispensationibus precedentibus ad dicta beneficia obtinenda habilis et idoneus dispensative pari formiter habitus tentus nominatus tractatus et reputatus prout habebatur tenebatur nominabatur tractabatur et reputabatur palam et publice et si fuit et est verum.

*Item.* Quod in casu seu et eventum in quem seu quos constaret eumdem Martinum se tractasse et asservisse legitimum et quod ante suam conceptionem et promotionem dilecti episcopi Elborensis ad sacros et presbiteratus Ordines et ecclesiae praedictae et illius consecrationem ipse episcopus cum Briolangia de Freitas muliere Elborensis soluta clam perniciosum matrimonium contraxerat seu contraxerant et quod in tali perniciose matrimonio conceptus et natus fuerat legitimus et de legitimo matrimonio procreatus procurator predictus ponit et dicit quod praedicta sic tractata et asserta nimis subtiliter excogitateque et calide confixit et quod praedicta omnia et singula fuerunt et sunt ut praefertur excogitata et calide conficta et pro subtiliter excogitatis et calide confictis et similiatis palam et publice communiterque et universaliter habitis tentis nominatis tractatis et reputatis prout etiam vulgariter et communiter habentur

nominantur tractantur et reputantur palam et publice et sic fuit et est verum publicum notorium et manifestum.

*Item.* Quod etiam in casum et eventum in quem seu quos constaret prout pro veritate nunquam ut creditur constare poterit quod inter dictum Alfonsum episcopum et perfatam Briolangiam etiam antequam dictus episcopus foret vel esset ad sacerdotium et episcopatum promotus asseratum matrimonium clandestinum fuisse contractum procurator praedictus ponit et dicit quod non eo magis ipse dominus Martinus fuit erat et est legitimus usque quod etiam fuit erat et est illigitimus palam et publice et sic fuit et est verum.

*Et* pro verificatione et demonstratione dictorum in proximo precedenti articulo procurator praedictus ponit et dicit quod dictus Alfonsus episcopus ..... anno ..... mense seu veriori tempore per testes desuper examinandos specificando fuit ad ecclesiam Elboensis tunc pastoris solatio destitutam promotus et regiminis et administrationis ecclesiae praedictae tunc immediate assequutus et postea consecratus et pro tali et talis habitus tentus reputatus nominatus et tractatus palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod postea multis annis elapsis et post plures annos post promotionem assumptionem et consecrationem ac episcopalis dignitatis intrusionationem praedictam ut praefertur dictus dominus Martinus conceptus procreatus et genitus fuit et in lucem venit filius dictorum dominorum Alfonsi episcopi et Briolangiae prout testes qui super praesentibus examinabuntur explicabunt et multum bene sciverunt et sciunt et pro tali ut praefertur tunc nato illigitimo habitus tentus nominatus et reputatus palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod in toto isto regno Portugaliae et praesertim in loco originis ipsius domini Martini et in tota vicinia suae habitationis et denique apud omnes et singulos ipsum cognoscentes et alios quoscunque universaliter et communiter et praesertim proceres et magnos regni praedicti et quoscunque aulae regiae aulicos regis dicti regni fuit semper et est publica vox et fama certa et indubitate scientia opinio reputatio extimatio ac vulgare et universale dictum quod talis sua pertensa legitimus fuit erat et est ut praefertur falsa et ab omni veritate aliena simulataque ac simulate et calide conficta ad perniciosos effectus sibi proficuos et excogitatos et ambitione plenos sique communiter et vulgariter famatur dicitur tenetur arbitratur et reputatur palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod in casum et eventum in quem seu quos constet seu appariet ipsum dominum Martinum contra quosdam Loduvicum Mendes Correa et Simonem etiam Correa laicos Elboensis seu alterius civitatis aut diaecesi in partibus a certo perniciose delegato apostolico certo modo impetrat in sui favorem det et super tali perniciosa illegitimata extorsisse seu reportasse ibidemque de tali perniciose matrimonio inter suos perniciosos parentes contracto deduxisse et probasse procurator praedictus

ponit et dicit primo quod inter ipsum dominum Martinum et praefactos Lodovicum et Simonem det et super hoc et quod sic fieret et ageretur et quod ipsi Lodovicus et Simon judicium paterentur et non se defenserent et minus a perniciosa sententia in sui favorem proferenda et promulganda appellarent conventum fuit et quod vigore et in vim sic convensorum colusive talis perniciosus processus desuper habitus et factus et a certa sententia desuper lata fuit prout in perniciose processu habitu et facto hujusmodi et a certa sententia desuper per judicem qui super praesentibus examinabuntur specifandi lata et de quibus omnibus assertus notarius qui per testes super praesentibus examinabuntur specificabitur et nominabatur habitus fuit quam et quem et contenta in eisdem procurator praedictus impugnative tamen et non aliis alter nec alio modo hic dat propositionibus et articulis suis quatenus tamen pro se et dicta parte sua et contra partem adversam faciant et facere possint vel videantur et non aliis alter nec alio modo.

*Item.* Quod similiter perniciosi testes de et super tali perniciosa legitimitate ipsius domini Martini et asserto matrimonio inter dictos suos parentes a certo tempore habili ut dicitur contracto ut dicitur inducti per testes qui super praesentibus examinabuntur specificandi et exprimendi ac nominandi fuerant erant et sunt subordinati suppositi submissi et instructi et informati et suasionibus pollicitationibus promissionibusque et munieribus inducti et corrupti et falsa deposuerunt et dixerunt palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod in toto dicto regno et apud omnes et singulos maxime de praemissis omnibus et singulis informatos fuit erat et est publica vox et fama comuneque et vulgare et indiferens indicium arbitrium opinio existimatio et reputatio sermo et dictum quod inter Ludovicum et Simonem praedictos ex una et praefatum dominum Martinum ex alia in tali perniciosa causa et illius meritis fuit collusio et intelligentia et quod in vim talis collusionis et intelligentiae dictae Ludovicus et Simon voluntarie passifuerunt et tollerati tale perniciosum judicium processum et assertam sententiam quodque minime voluerunt appellare nec appellariunt ut in rem transiret judicatam sive communiter et universaliter dictum famatum tentum tractatum et reputatum prout habetur dicitur famatur et reputatur palam et publice et sic fuit et est verum publicum notorium et manifestum.

*Item.* Quod similiter in toto dicto regno et apud omnes et singulos maxime de praemissis omnibus et singulis infamatus fuit et est publica vox et fama comuneque et universale et indiferens judicium arbitrium opinio existimatio et reputatio sermo et dictum quod testes pertestes qui super praesentibus examinabuntur specificandos et nominandi fuerant erant et sunt subordinati suppositi submissi instructi et informati et suasionibus sollicitationibus promissionibus et munieribus inducti et corrupti sive communiter et universaliter dictum famatum tentum

tractatum et reputatum prout habetur dicitur famatur et reputatur palam et publice et sic fuit et est verum.

*Item.* Quod similiter in toto dicto regno et apud omnes et singulos maxime de perniciosa sententia notitiam habentes et informatus fuit et est publica vox et fama communeque et universale et indiferens judicium quod dicta sententia fuit erat et est per talem assertum delegatum corruptum et corrupte et per sordes injuste et indebita ut dicitur lata et promulgata sique et universaliter dictum famatum tentum et reputatum dicitur famatur et reputatur palam et publice et sic fuit et est publicum notorium et manifestum.

*Item.* Quod similiter vulgari et communi omni judicio credulitate opinione et existimatione si iste et talis perniciosus modus asserre illegitimitatis et super asserta legitimitate inducenda et intronisanda in isto regno induceretur et admitteretur et tolleraretur esset nimis periculosum et perniciosum et nisi absconditeretur hujusmodi planta nedum malos sed pessimos fines et effectus posset parere et inducere exinde que scandala et pejora et forsan lites tumultus dissensiones sanguinolentiae et homecidia procederent et causarentur.

*Item.* Quod ulterius similiter omni judicio credulitate opinione et existimatione illi qui publice tales illegitimos neverunt et postea illos subito viderunt et viderint legitimatos seu legitimos inde risus et oblocutiones vadunt fuitque et est perniciosum exemptum et scandalum et autoritatis apostolicae sedis vilipendium.

*Item.* Quod praemissa omnia et singula fuerunt et sunt vera ac de ipsis fuit et est publica vox et fama.

*Est* advertendum nunc quod esset bene et in proposito quinimo necessarium reperire et habere aliquas dispensationes vel ex dispensationibus dicti domini Martini in quibus fecisset et obtinuisse secum dispensari super illegitimitate hujusmodi et illas producere.

*Postea* procurator fiscalis debebit facere citari dictum domnum Martinum vel suum procuratorem prout supra dictum est ad dicendum contra articulos factos et actos ut praefertur et ut supra habentur et videndum illos admitti et desuper induci et jurare testes et committi notario receptionem juramentorum testium super dictis articulis et tota eam ad certam diem et horam et dandum interrogatoria infra illam et aliam diem sequentem et die ac termino hujusmodi advenientibus vel praesente vel absente ... ... parte adversa in contumaciam obtinebit et faciet admitti articulos et desuper inducit testes.

*Per* necessarium et ultra utile est si potest fieri quod supradicti Simon et Ludovicus inducerentur in testes et examinarentur dico hoc quia presuppono quod ipsi proveritate haberent deponere et testificari quod supra dictum est in articulis de collusionibus et pactione.

*Non* minus esset necessarium et utile omni conatu intelligere et reperire qui fuerunt judex et testes ac notarius in processu in partibus ut supra dictum est habitu et facto et bene advertendum quod si prout

pro veritate supponitur et subornatio testium et alia articulata omnino examinentur quando minus obmittantur sua testimonia et inducantur testes quo meliores pro probandis dictis articulis potuerint reperiri.

*Attendatur* tamen quod pendente termino praedicto ad dandum interrogatoria illis duobus diebus non potest nec debet procedi ad examen testium verum illis elapsis examinentur sine difficultate et etiam attendatur quod semper quando inducerentur novi testes et nova jura semper est citandum ut supra ad dicendum contra et videndum jurare pro die et hora certa et dandum interrogatoria per illam et sequentes dies ut supra.

*Item.* Advertatur quod debet specificari et exprimi et hora et locus ubi et in quo et in qua debuerint jurare testes quorum juramenta ipsi notario fuerunt commissa et hora statuta et praefixa in loco destinato ibi notarius ad recipiendum juramenta nec praecedetur ad examen nisi lapsis duobus diebus postquam juraverunt ut supra dictum est.

*Si* producerentur dispensationes praedictae tunc etiam esset necesse citare partem ad dicendum contra etsi non essent sigillata sigillo Romanae Curiae offerteret illos recognosci pro autenticis et publicis circa quam advertentiam suppleat procurator fiscalis sive agentes pro eo.

*Expedit* etiam citare eundem Martinum ad audiendum et videndum sibi praefigi terminum ad producendum quaecunque jura sua quae producere voluerit ad certam diem et dicta die si non produxerit accusare contumaciam etsi produceret erunt partes dicti procuratoris fiscalis facere et dare exceptiones vel non prout videbitur quia ista remittuntur suo arbitrio.

*Quibus* enpletis omnia redigantur in volumen unius processus et dabuntur domino judici ut procedat ad sententiam circa quam dominus Martinus vel suus procurator erit citandis ad videndum deferri juramentum in supplementum probationis concludendum et audiendum sententiam ad certam diem et horam et illa die et hora antequam ad illius probationem procedatur in termino preciso comparante procuratore obtinebit sibi deferri juramentum in suplementum probationem ac concludi et pronuntiari.

*Non* potest aliquid dici de agendis et circa agenda pro parte domini Martini quia ipse et sui agentes se suo modo gubernabunt et a nobis ignorat ideo opportet quod sufficientia et distinctio praefati procuratoris fiscalis et allorum juris peritorum regiorum suppleat.

*Super* omnia tamen advertatur quanto magis potest verificare collusionem inter ipsum dominum Martinum Ludovicum et Simonem praedictos etsi fieri posset quia hoc esset maxima importanter etiam judicis et inclusive etiam esset si probaretur quod prece vel pretio domni Martini ista materia sic processisset tam respectu ipsius Ludovici et Simonis quam ipsius judicis.

*Quod* autem melius et magis olim est subornatio corruptela et falsitas testium.

*Caetera* etiam suppleant praefati dominus procurator fiscalis et  
alii periti <sup>(1)</sup>.

(A. E.)